



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LIX. De tribus panibus hominis spiritualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

Lapis iste est vel nimia tristitia, vel pigritia, vel duritia, quæ dum cordis auditum obstruit, frustra ad ungendum mortuum mens, vel manus, vel lingua cum quibuslibet aromatibus venit. Sed quoniam scriptum est, *Præparationem cordis ejus audivit auris tua*: vident lapidem revolutum, introeunt in monumentum: & quem ungere volebant mortuum; audiunt suscitatum. Quis hoc indicat? Quis hoc prædicat? Angelus utique testis resurrectionis. Videtur scilicet hujus in quo Christus resurrexit, vultus lætior, aspectus venustior, sermo purior, incessus modestior, & ad omne opus bonum spiritus promptior. Quæ omnia quid sunt aliud, quam quidam internæ resurrectionis hilaris nunciis? Cætera quoque quæ in Christi resurrectione gesta vel dicta sunt, utpote de invento sudario, ac de ipso Domino in Galilæa videntur, & aliis quæ evangelica continet historia, possunt nimirum juxta cœptam tropologiam interpretari: ut quod historicè præcessit in capite, consequenter etiam credatur fieri moraliter in ejus corpore.

S E R M O LIX.

De tribus panibus hominis spiritualis.

A *Misce commoda mihi tres panes*^a. Veniens ad nos de via noster amicus, ^a Luc 11. a
id est, quilibet conversus proximus; tribus panibus reficiendus est. Primus panis est *continentia*, qua restringitur corpus, ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secundus est *humilitas*, qua instruitur anima, ne de ipsa sua continentia superbiat. Tertius est *servor charitatis*, quo accenditur spiritus, ut utrumque, id est, corpus & animam in castitate & humilitate perseveranter custodiat. His tribus virtutibus, id est, castitatis, humilitatis, charitatis, tanquàm tribus panibus reficitur homo Dei, & roboratur, ut secundum Apostolum ^b in die adventus Domini sit integer spiritus, anima & corpus. Spiritum autem voco gratiam, quæ juxta Apostolum eundem ^c adjuvat infirmitatem nostram ne deficiamus, donec suo tempore metamus bonum quod seminavimus. Vocatur primus panis carnalis vel corporalis, secundus rationalis, tertius spiritualis. Hi panes quotiens defunt, à Deo requirendi sunt. Meritò autem tres quærentur, quia tres reficiendi veniunt: Anima quasi vir, Caro quasi conjunx, Spiritus velut utriusque vernaculus. Et notandum, quòd non ait, da: sed *commoda mihi tres panes*, quasi redditurus: quia sacerdos peccatori se convertenti debet quidem gratiam divinitus impetrare, fructum verò ejusdem gratiæ non sibi debet, sed Deo referre.

S E R M O LX.

De Christi itemque nostro descensu, & ascensu.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo^a. Dominus & Salvator noster Jesus Christus volens nos docere ^a Ioan. 3. b
Uuuu 2 quomo-